

# 1) Statuten 1587

## STATUTA FACULTATIS THEOLOGICAE TEMPORE DIVI JULII :

### *Titulus Primus.*

#### **De his, quae ad cultum pertinent divinum.**

Cum theologorum munus proprium sit, sanctissimum dei cultum omnemque christianam pietatem verbo atque exemplo inprimis tueri, et commendare omnibus statuimus et ordinamus, ut quotannis in festo Conversionis Pauli (vel si in dominicam evenit, feria sequenti) sacrum nostrae facultatis decantetur in ecclesia apostolorum aut alia a facultate assignata, quod omnes, qui de facultate sunt, tam doctores, quam licentiati, baccalaurei et studiosi epomidibus induti (si artium magistri fuerint) devote audiant et reverenter in sacram aram offerant.

Item statuimus et ordinamus, ut prima feria secunda mensis Junii, nullo festo impedita, celebretur in eodem templo sacrum pro huius nostrae facultatis omnibus fidelibus defunctis, cui omnes praedicti simili modo adsint, et offerant; atque ex fisco facultatis pedello dua bau, tam hoc die, quam in festo Commemorationis Pauli pendantur.

### *Titulus secundus.*

De disciplina morum et honestate.

Quia vero theologicam facultatem spectat normam bene christianeque vivendi tradere, statuimus et ordinamus, ut, qui ad nostram facultatem admiuntur, morum honestate et gravitate aliis prae luceant, et honestum habitum, clericorum ordini et dignitati ecclesiasticae congruentem, semper, et palam, et non occulti ferant, ut modestia habitus externi morum honestatem internam omnibus ostendant. deinde, ut aliis, ita et sibi servanda arbitrentur, quaeque de honestate vitae, morum et vestitus ab tota ecclesia vel ab ordinario praescribuntur.

Omnes autem operam dabunt, ne quis inter ipsos simultati locus detur, sed magna animorum conjunctione et benevolentia conjuncti alii alios honore praevenerint. ac si contingat eos interesse, cuun temere quidpiam ab alio diceretur, quod alicujus ex ipsis maximeque reverendissimi et illustrissimi principis nostri aut darissimi primae saerae aedis capituli honorem minueret: tum pro hoanore illis tuendo charitas ac reverentiae, quae superioribus et academiae nostrae canservatoribus aut facultatis membris debetur, officium, quantum poterunt praestare non praetermiunt.

Item statuimus et ordinamus, ut nullus in facultate nostra toleretur, aut ad ullum gradum in ea suscipiendum admiatur, qui doctores facultatis nostrae contemnit, aut reverentiam et honorem debitum illis exhibere per arrogantiam noluerit. Quod si autem aliquem ex magistris nostris verbo vel facto quis offenderit, iudicio et arbitrio facultatis stabit, quicquid ad campensandam vel depellendam iniuriam ejus, qui laesus est, pertinebit.

Item statuimus et ordinamus, ut nostrae facultatis doctores, quoties ad disputationes publicas, actus, promotiones, missas, congregationes, aut id genus officia, non solum nostrae facultatis sed etiam aliarum facultatum et totius universitatis prodibunt, gestentque utroque humero epomidem doctoralem, laneam nigram: caeteri vero graduati non doctores epomidem philosophicam. praesides autem disputationum vel actuum (si quidem sint doctores) supra vestem utantur cappa pellita duplici, quarum minor circa collum reflexa tegat maioris extrema, et pileo holoserico caerulei coloris. Eodem habitu utentur reliqui doctores in promotionibus

doctorum nostrae facultatis. qui vero pro gradu respondent aut actum aliquem nostrae facultatis celebrant, baccalaurei vel licentiati, supra vestem utantur cappa pellicea majori, exceptis religiosis, qui monastico habitu vestiuntur.

### *Titulus tertius.*

De officiis et oneribus nostrae facultatis theologiae.

1. Quandoquidem hujus nostrae facultatis unicus sit scopus, ut gloria dei ex vera illius, qualis nobis in hac mortali vita contingere potest, cognitione, cui aeterna est conjuncta beatitudo, sua in dies incrementa capiat: elaborandum erit, ut ad profitendum semper deligantur et proponantur viri apti, qui quidem dabunt operam, ut horas praescriptas docendi cum auditorum detrimento non negligant.

2. Ne vero studiosi facultatis nostrae multis annis, quod sine maximis sumptibus fieri haud potest, in scholis nostris detineantur, statuimus et ordinamus, ut singulis quatuor vel summum quinque annis cursus theologicus a professoribus nostris absolvatur. intra quorum annorum spatium, si audiendis lectionibus infrascriptis diligentiam adhibuerint debitam et consuetis liuerariis ac facultatis iudicio scholasticis actionibus sese exercuerint, gradus in hac facultate nostra, si voluerint, facultatis iudicio consequi possunt.

3. Ad hoc efficiendum curetur, ut perpetuo quatuor theologi in scholis nostris doceant (quemadmodum primo hujus tituli paragrapho continetur), quorum duo scholasticam theologiam, tertius scripturam, quartus vero casus conscientiae, jus canonicum vel controversias docebit.

4. Hi professores horas et materiam, quam docturi sunt, ita inter se partientur, ut definitio tempore cursui theologico finem imponere, auditores vero theologiae lectionibus omnibus interesse commode possint.

5. Praeter lectiones quotidianas volumus etiam singulis vel saltem alternis hebdomatibus certo disputationem haberi et inter doctores servari ordinem, ut vicissim ex iis, quae quisque docuerit, institutis disputationibus praesint. easdem vices ab auditoribus suis tam in defendendo quam in opponendo, ut, quantum fieri potest, aequabiliter omnes exercentur, qui ad hoc prompti et idonei videbuntur, servari curent.

#### **De electione decani et ejus officio.**

1. Statuimus et ordinamus, ut quotannis in festo commemorationis st. Pauli ex doctoribus consilii facultatis nostrae per vota secrete, secundum praescriptum concilii Tridentini, eligatur decanus novus, qui toti facultati praesit, omniaque jura illius, sigillum, librum statutorum, actorum ac rationum ab antecessore suo eodem die accipiat ac diligenter fideliterque tempore administrationis suae custodiat, de singulis elapso anno rationem reddatur.
2. Item statuimus et ordinamus, ut per pedellum legatur decretum hoc de electione decani, omnibus doctoribus ad eligendum decanum convocatis; meminerintque omnes, neminem eligendum, nisi honestae vitae, nullo crimine maxime concubinitus aut incontinentiae infamem.
3. Item statuimus et ordinamus, ut decanus in festo commemorationis st. Pauli post elapsam annum suum decanatum facultati resignet; et cum pedello singulorum vota fideliter colligat. ille per pedellum palam pronuncietur decanus, ad quem officio defunctus voto suo accesserit. antiquus vero decanus suum officium in suum successorem non ante transferet, quam praesentibus doctoribus, licentiatibus et baccalaureis, qui continenter interfuerint et compendium consuetum pedello numeraverint.
4. Item statuimus et ordinamus, ut novus decanus integram fidei professionem faciat secundum bullam Pii quarti, si jam non fecerit alias in nostra facultate. quod si alias fecerit, in nostra facultate, satis erit, ab eo loco coram facultate tota cum dicitur: Hanc veram fidem ....et juramenta subsequantia, praestet.
5. *“Ego N. electus decanus facultatis theologiae juro, me officium meum fideliter praestitutum ad facultatis nostrae utilitatem pacemque et concordiam omnium membrorum ejus, quantum in me erit, conservaturum neque permissurum, ut haeresis ulla vel error contra fidem ecclesiae Romanae in facultatem irrepat, vel, quae ad facultatis nostrae conservationem studiorumque theologicorum augmentum decreta sunt, intercidant. sic me deus adjuvet ut haec sancta dei evangelia.”*
6. Item statuimus et ordinamus, ut statim post electionem novi decani, in praesentia facultatis, antiquus non solum omnia, quae facultatis nomine habuit conservanda, sed et rationem acceptorum et expositorum reddat, et mox in fiscum reponantur, quae reponenda indicabuntur.
7. Item statuimus et ordinamus, ut decanus nihil pro se, quod illi in statutis hisce expresse concessum non est, concludat, sed semper, quicquid determinandum est, auditis aliorum doctorum sententiis secundum pluralitatem votorum definiat, ubi autem suffragia erunt paria, ex eorum sententia concludere poterit, quibus ipse suo suffragio accesserit. ejus tamen erit, significata causa facultatem, quoties fuerit opus, convocare.
8. Item statuimus et ordinamus, ut penes decanum sint tres libri; unus statutorum istorum, quae mutari non debent, nisi omnes omnino, qui de facultatis consilia praesentes fuerint, consenserint, alter actorum nostrae facultatis, in cujus una parte scribantur, quae extra statuta a doctoribus in consilio facultatis concluduntur, cum descriptione decani, in altera electiones decanorum, promotiones, admissiones, responsa et actus omnes theologici, vel siquid aliud, quod facultatem nostram concernat, tertius rationum acceptae et expensae pecuniae.

#### ***Titulus quartus.***

De aetate et conditione promovendorum in genere.

1. Statuimus et ordinamus, ut si quis, absoluto vel hic vel alibi cursu theologico promoveri voluerit, allato ejus rei sufficienti testimonio omnes gradus ex ordine suscipiat, quos alibi non suscepit usque ad eum, in quo quiescere decrevit. itaque si doctorum gradum postulabit, primum habita disputatione publica ad baccalaureatum biblicum admiendus est; et sic deinceps; a lege tamen consumendi ejus temporis, quod inter gradus intercedit, liberari poterit.
2. Nolumus aetatis aut temporis studiorum in promotionibus rationem haberi, nisi rerum theologiaeque ad gradum, qui petitur, convenienti cognitione, honestae praeterea conversationis et vitae testimoniis promovendus commendetur. nam infames apostatas aut perversis moribus notorie praeditos et consuetarum lectionum et singularum contemplatores (wohl verschrieben für: contemptores) et neglectores, nisi alibi locorum compleverint et sufficienti doctrina, caeterisque requisitis praedicti fuerint, a promotionibus omnino arcemus.
3. Item ordinamus, ut nullus ad baccalaureatum admiatur, qui non sit legitime quatuor minoribus ordinibus initiatus, ad licentiam vero et doctoratus insignia, qui non fuerit ordinatus in ecclesia Romana catholica sacerdos, magister, exceptis monachis.
4. Item statuimus et ordinamus, ut nemo ad praelectionem vel gradum baccalaureorum biblicorum admiatur, qui ut minimum non audierit praelectiones scripturae unum et utrumque scholasticae theologiae per II annos. ad gradum vero baccalaureorum sententiariorum ante tertium annum expletum nemo admiendus est, ut inchoare possint praelectionem tertii libri sententiarum; qua inchoata censentur baccalaurei formati. licentiae vero gradum nemo nisi elapso anno quarto studiorum theologicorum consequatur.
5. Item statuimus et ordinamus, ut promovendus ad illum gradum, quem petit, deligat sibi doctorem ex numero eodem, qui est de facultatis consilio, qui primo quidem ipsius disputationibus deinde et promotionibus praesit (si licentiam est accepturus) et eum cancellario vel procancellario nomine facultatis praesentet et theses pro gradu disputandas probet ac emendet, nisi in certis quibusdam casibus designationem promotoris sibi facultas theologica reservari vellet.
6. Item statuimus et ordinamus, ut nullus promoveatur ad ullum gradum, quam non ante defenderit theses publice Herbipoli sub eo doctore, quem sibi juxta praecedens decretum acceperit. ad licentiam vero nemo admiendus, nisi disputationes sex salennes habuerit. primam ante baccalaureatum biblicum; alteram ante initium magistri sententiarum, tertiam ante inchoatum tertium sententiarum, quartam - quintam et sextam ante licentiam, sine

praeside. post quas disputationes privatim a doctoribus singulis pro ipsorum arbitratu in quamvis materia theologica seu scholastica examinabitur.

7. Item statuimus et ordinamus, ut posthac in publicis disputationibus et praelectionibus suis studiosi et bacc.alaurei facultatis nostrae faciant: protestationem infrascriptam, priusquam praelegere aut respondere incipiant.

#### **Formula protestationis.**

*„Ego N. sacrae theologiae studiosus vel baccalaureus coram nobis venerabilibus praeceptoribus meis totoque hoc auditorio libera voce protestor, me nunquam animo decrevisse, vel in hac actione, theologica vel aliis similibus dogma aliquod proponere vel defendere; pertinaciter, quod cum fide orthodoxa catholica, cum sanctae ecclesiae Romanae decretis, sana doctrina sanisque moribus pugnet, vel etiam, quod aut sine suspitione erroris vel nota temeritatis vel aurium piarum offensione defendi non possit. quodsi vero mihi non cogitanti aut lapsu linguae aut mentis oblivione aut alia quavis de causa aliquid ejusmodi exciderit, jam nunc revoco ac id semper revocare vel interpretari secundum ordinationem facultatis hujus theologicae paratus sum.*

#### **Titulus quintus.**

De modo admittendi baccalaureos biblicos.

1. Statuimus et ordinamus, ut nulli aditus detur ad postulandum gradum baccalaureatus biblici, nisi prius sub doctore et professore aliquo nostrae facultatis solennem habuerit disputationem, quem ipse eliget ab eo dirigendus in omnibus actionibus istius gradus.

2. Praeterea volumus, ut, qui gradum suscepturi sunt, petant primo a venerabili domino decano facultatis doctores convocari, quod idem in reliquis gradibus fiet. deinde iisdem congregatis supplicent, ut salvis statutis facultatis potestatem sibi faciant praelegendi librum aliquem veteris et novi testamenti, quem facultas eis praescribet, cum modo ordine et tempore eum tradendi et absolvendi, qui tuosus erit, ut nan cum apparatus, sed breviter percurratur.

3. Item statuimus et ordinamus, ut omnibus supplicantibus pro gradu biblico, vel sententiarum praelegantur in praesentia magistrorum nostrorum statuta, quae habentur de cultu dei, disciplina et conditionibus hic promovendorum, priusquam deliberetur aut petitioni candidatorum annuatur.

4. Statuimus et ordinamus, ut, qui admissi fuerint ad hunc gradum, post orationem de laudibus theologiae habitum et brevem de aliqua quaestione theologica disputationem clara voce professionem fidei recitent ex libro facultatis nostrae et iuramenta infrascripta publice faciant. quibus peractis nomine facultatis theologicae doctor, qui disputationi eorum praefuit, cappam theologicam pellitam supra pallium eis imponat et sacra biblia tradat et, ut praelectiones in nomine domini auspicientur, hac verborum forma de cathedra jubebit:

*„Ego N. et N. nomine venerandae facultatis nostrae theologicae creo, pronuncio ac publice proclamo in hoc ornatissimo consessu baccalaureum biblicum vel sententiarum ac potestatem facio, omnes actus faciendi, qui hunc gradum concernunt: in nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.” verum, priusquam inchoent lectionem, protestabuntur secundum formam antescriptam. si plures fuerint, accomodabitur eis forma.*

5. Item statuimus et ordinamus, ut si plures fuerint ad hunc gradum simul promovendi, praecedant magistri religiosos, non magistros, (nisi propter diuturnum tempus studiorum theologicorum et doctrinae imparitatem cum aliquo dispensandum facultati videretur).

Inter magistros vero servetur ordo et tempus promotionis, sive hic sive alibi factae. inter eos tamen, qui eodem anno fuerint promoti, praecedent nostrae academiae magistri. in sequentibus autem gradibus theologicis ratio habeatur temporis et ordinis et gradus proxime suscepti, non autem magisterii, usque ad licentiam inclusive.

6. Item statuimus et ordinamus, ut ad sumptus vitandos liceat III aut IV simul hunc et reliquos baccalaureorum celebrare. in licentiatu et doctoratu quotquot valunt. promotor vero erit is; qui primae inter promovendos disputationi praefuerit; ex cujus praescripto distribuet orationem, disputationem, quaestionis recitationem professionisque fidei et gratiarum actionem: omnibus tamen commune erit, ut in professionem fidei ab uno recitatam jurent. caetera vera iuramenta praestent singuli breviter et elaborata dictione, ac docte librum auspicientur.

#### **Juramenta Baccalaureorum publice per pedellum praelegenda.**

Post fidei professionem pedellus his verbis promovendos alloquetur: *“Honorandi et eruditi domini, priusquam hunc gradum suscipiatis, haec jurabitis:*

1) *Vos reverentiam et honorem debitum doctoribus hujus facultatis theologiae exhibituros ac bonum universae facultatis ejusdem pro viribus procuraturos studiique generalis Herbiipolensis ac inprimis facultatis huius jura, libertates et ordinationes laudabiles. ad quemcunque statum perveneritis, pro viribus promoturos.*

2) *Vos dogmata ab ecclesia damnata, suspecta vel cum bonis moribus pugnantia aut piarum aurium offensiva scientes, prudentes non defensuros, aut, si aliquem huius facultatis in eo genere peccasse cognoveritis, decano aut facultati, super ea re interrogatos, fideliter responsuros.*

3) *Vos pacem et tranquillitatem inter saeculares, ecclesiasticos et religiosos necnon inter facultatem conservaturos et, quoad poteritis, eandem procuraturos.*

4) *Si lapsu linguae vel alia occasione aliquod huiusmodi erratum in actionibus publicis exciderit, vos in eo vel interpretando et exponendo facultatis ordinationi obtemperaturos.*

5) *Vos decano et facultati in licitis et honestis obtemperaturos, quamdiu in hoc studio fueritis, salva obedientia. superiorum vestrorum et statutorum, ordinum et edesiarum.*

6) *Postremo vos hic gradum hunc semel susceptum alibi non reiteraturos.”*

Promovendi omnia, quae eis a pedello iuramenta proponuntur, approbasse censentur, si apicem sceptri attigerint.

#### **Titulus sextus.**

De modo admittendi aliquem ad praelectionem magistri sententiarum.

1. Statuimus et ordinamus, ut baccalaurei biblici non antea ad praelegendum aut percurrendum libros sententiarum a facultate, ut praecedenti titulo dictum est convocata admittantur, quam tres annos in sacrae theologiae studio consumpserint, et post, absolutas praelectiones biblicas solemniter theses sub aliquo doctore sibi dato defenderint.
2. Item statuimus et ordinamus, ut actus sententiarius hoc ritu celebretur. primum baccalaureus cappa pellicea in actione indutus supra, vestem de inferiori cathedra aperto capite orationem recitet in laudem scholasticae theologiae; tum recitata fidei professione et praestitis juramentis baccalaureorum biblicorum praecedenti titulo promotionem a doctore de cathedra. juxta formam superius positam accipiat; deinde questione aliqua scholastica primum librum sententiarum auspicetur, postremo gratias agat praesentibus. si plures fuerint, haec inter se distribuant, ut superius de biblicis dictum est.
3. Item statuimus et ordinamus, ut nullus sententiarius baccalaureus formatus habeatur vel solleniter tertium lib. seint. inchoet, nisi denuo sollenes theses defenderit ac ut facturus initium tertii sent. decanum certiore reddat; qui id per pedellum curabit publicari. Illa antem ipsa inchoatione praesente pedello censeatur formatus sine alia promotione vel ceremoniis; vel, ut de tempore constare possit, referatur ad acta.
4. Item statuimus, ut quemadmodum biblici sie etiam sententiarum lectores ordine et tempore sibi assignato legere non desinant. facultatis autem erit, in eadem admissione modum et tempus praescribere.

### ***Titulus septimus.***

#### **De modo procedendi ad licentiam.**

1. Statuimus et ordinamus, ut baccalaurei formati, si volent, ad gradum licentiae petendum procedere, primo decano et magistris nostris per doctorem, quem ad gradum hunc delegerint, suum desiderium patefaciant ac debita reverentia animique submissione, ut aditus detur ad gradum consequendum, facultati supplicent.
2. Item statuimus et ordinamus, ut nemo vel pro licentia supplicet vel ad eam a doctoribus admittatur, qui post absolutas sententias ter de diversis materiis sollenniter sine praeside non responderit argumentantibus baccalaureis aut studiosis interponentibus se atque argumentantes juvantibus doctoribus ac licentiatis. quaelibet autem disputatio erit trium aut ad minimum II horarum (quod tempus etiam in caeteris disputationibus pro qualibet gradu sollempnibus servandum erit, et ad horam unam vocandus cancellarius, qui licentiam impertietur, ut hac ratione de promovendorum eruditione magis ipsi constet.
3. Item statuimus et ordinamus, ut post omnes disputationes doctores a decano convocati promovendum examinent, singuli quaestiones proponentes vel de scripturae interpretatione vel de materia scholastica vel de quavis alia re theologica, prout cuique visum fuerit. quo examine finito et baccalaureo egresso quaerat decanus singulorum doctorum sententias; significetur doctore praesidi, si admissus fuerit, ut eum facultatis nomine domino cancellario ad licentiam praesentet, qui primo tempore cancellarium cum promovendo adibit et sibi commissa exequetur simulque ab eo intelligat, quo tempore et loco velit licentiam conferre.
4. Actus licentiae instituetur hoc modo. primum scriptis vel impressis chartis, in quibus nomina candidatorum continentur, publice indicetur dies, hora et locus hujus promotionis, deinde tribus ante praescriptum indictae promotionis tempus nominatim a licentiae candidatis, comitantibus una cum magistris vel praeside et aliquot baccalaureis vel theologiae studiosis, praeeunte pedello sceptrigero, invitabunt, qui actum sua praesentia sunt cohonestaturi, qui erunt ordinarie reverendus rector, cancellarius vel vicecancellarius, suffraganeus, abbates, praepositi et decani hujus civitatis, doctores omnium facultatum et licentiati theologiae, consules et si quos praeterea velint. Cum vero statuto tempore et loco (quod erit pomeridianum) convenum, fuerit, primum doctor praeses conscensa cathedra in habitu theologico, singulis cappa pellita indutis, quaestiones disputandas decidendas proponet. qua disputatione perfecta ipse orationem de re theologica ad auditores habebit; deinde uni promovendorum integram professionem fidei publice legendam dabit, in quam etiam caeteri actu evangelii jurabunt. tun pedellus juramenta facultatis recitabit, quae actu sceptri scepri stabunt.

#### **Juramenta licentiandorum.**

Primo jurabunt, se domino cancellario studii Herb. et doctoribus facultatis theologiae debitam reverentiam et honorem exhibituros operamque duros, ut, ad quemcumque statum perveerint. pro ratione temporis et loci bonum facultatis promoveant.

Secundo jurabunt, se pacem, concordiam et tranquillitatem universitatis et facultatis et maxime, consensionem mutuam tum IV facultatum, tum ecclesiasticorum, religiosorum et saecularium defensuros.

Tertio, se gradum hunc licentiae alibi non reiteraturos.

Quarto, se fidele testimonium de baccalaureis et aliis studiosis.

theologiae facultatis, cum legitime a decano rogabuntur, perhibituros.

Quinto, se in festo magisterii non expensuros supra tria millia grossorum Turon. juxta decreta in Clementinis editam et confectam.

His ita peractis, praeses ex cathedra superiori rogabit dominum cancellarium, ut, quoniam omnia perfecerint, quae ad hunc gradum requirebantur, ipse eis licentiam impertiatur.

Tunc candidati ex subselliis, inferioribus praeeunte pedello adibunt cancellarium. ad quem ubi venerint, clara voce dicet pedellus: „Reverendi domini in honorem dei et sanctae sedis apostolicae provolvite vos in genua". illi deinde in genua provoluti benedictionem et licentiam accipient, quam dominus cancellarius superpelliceo (vel si episcopus fuerit roccheto) et sacra stola indutus, aperto capite, hac formula dabit.

#### **Forma licentiae pro domino cancellario.**

*„Ego N. N. Universalis studii Herbip. cancellarius (vel vicecancellarius, si is fuerit) auctoritate dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, sanctae sedis apostolicae et sacrae caesareae majestatis mihi (si fuerit procancellarius addet: per illustrissimum et reverendissimum episcopum Herbip. Cancellarium) concessa, vobis sacrae theologiae baccalaureis, ad hunc*

*gradum examinatis, approbatis et mihi a facultate theologica praesentatis, impertior licentiam, doctoratus insignia in eadem theologica facultate petendi et accipiendi, publiceque legendi, docendi, disputandi et omnes alios actus doctorales exercendi, hic et ubique locorum, si ea praestiteritis, quae ad hanc pertinent sollemnitatem. in nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.*

Accepta licentia cum ad subsellia reversi fuerint, doctor praeses pro licentia data gratias aget domino praeposito cancellario, deinde mox generales gratias aget deo totique curiae coelesti omnibusque praesentibus, cuique ordine suo, qui actum cohonestarunt. quo tempore determinationes et orationes recitantur, invitatis vinum bonum propinabitur et zaccarum offeretur.

#### **Titulus octavus.**

1. Promotio doctorum fiet in aula Kiliani aut alio loco commodiori ex voluntate facultatis.
  2. Triduo ante vespereas (nach Ruland hier und auch weiter unten vielleicht: vespereas) promovendi praesente pedello comitantibus paucis theologiae candidatis singuli cum epomide philosophica exhibunt, invitatum ad vespereas et aulam doctoralem omnem, qui sua praesentia splendorem actui adferant. illi ordinarie erunt: reverendissimus princeps, magnificus rector, suffraganeus, procancellarius, abbates, praepositi et decani hujus urbis, capitulares summi templi, doctores omnium facultatum, consules civitatis, praefectus aulae et cancellarius principis, theologiae licentiatum et quos praeterea, voluerint promovendi.
  3. Pridie promotionis a meridie celebrabuntur vespereae hoc ritu. promotor habitu theologico solus cathedram majorem conscendet. promovendi in inferiori cathedra cappa pellicea induti consistent. promotor postquam totam illius diei actionem distribuerit, cuidam s. theologiae candidato in utramque partem quaestionem theologicam in se discussam in veriolem partem determinandam proponet, quam candidatus eleganti oratione determinabit, solutis argumentis in contrarium allatis, deinde doctores seniores pro numero promovendorum quaestiones item theologicas a se in utramque partem disputatas proponunt: quas ubi promovendi in veriolem partem determinaverint, doctorum unus conscensa alia cathedra laterali de promovendis ea dicit, quae et auditoribus honestam recreationem adferant et promovendos doceant humilitatem. omnia tamen sine dente et convicio. promotor invitato auditorio ad aulam sequentis diei brevissime gratiarum actione finem imponet.
- In his vespereis solus promotor ex doctoribus pellibus theologis utetur, reliqui doctores epomide.

#### **De aula doctorali.**

4. Postridie hora convenienti promotor cum promovendis et aliis doctoribus habitu doctorali pelliceo omnibus indutis, praeeunte pedello locum promotionis ingredietur, et promotor quidem cathedram superiolem conscendet, doctores vero in suis locis considerabunt pileo caeruleo cum promotore utentes. promovendi vero apertis capitibus inferiolem cathedram occupabunt. promotor distributa. tota actione eisquae ad auditorum utilitatem ratione reddita orationem de materia theologica, recitabit; qua finita jussu promotoris singuli promovendi suo baccalaureo vel theologiae candidato singulas proponunt quaestiones theologicas, quas ubi determinaverint et argumenta contraria solverint, auspicabitur promotor hoc modo promotionem.
5. Facto signo crucis sic ordietur: *“Quia mihi sacra theologica facultas vices suas in hac promotione commisit, aequum est, ut ejus voluntati respondens vobis dominis licentiatum promeritis honores conferam. ego igitur N. N., ingeniarum artium magister et s. theologiae doctor, vos s. theologiae licentiatos N. N. huc ex inferioribus subselliis in, superiolem cathedram evoco, ut de sublimiori loco tanquam in monte constituti ad exemplum Christi praecceptoris nostri aliis vita et moribus praeluceatis et de cathedra, cujus possessionem jam vobis trado, sacras litteras et theologiam pro officio doceatis. ascendite igitur huc ad me, et cathedrae theologiae possessionem accipite, ut: imposterum ex cathedra sapientiae loquamini, quae decent sanam doctrinam.*
6. *Accipite sacra biblia clausa et theoloica mysteria non temere evulgetis, sed magna prudentia, et discretionem ad ingenium an(du)ditorum vos accomodetis et parvulis in Christo lac detis, non escam. sapientiam autem, loquamini inter perfectos.*
7. *Accipite eundem librum sacrarum scripturarum apertum, ut memineritis, vos esse ministros illius agni, qui dignus fuit aperire librum et solvere signacula ejus, ideoque potestatem habere, sacras litteras et divina, quae his continentur, mysteria explicandi, ut audire mereamini: qui me elucidant, vitam aeternam habebunt.*
8. *Accipite hunc annulum, quem, quia sponsae vestrae divinae sapientiae dare non potestis, ipsa vobis per me dat vosque molnet, ut ipsi fideles perpetuo manere pergatis neque unquam a sacrarum litterarum studiis animam abiciatis, quae utiles (nach Ruland vielleicht: reddunt) ad docendum, arguendum, corrigendum et erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo dei ad omne opus bonum instructus cupit enim vos desponsare in sempiternum in justitia, judicio, in misericordia et miserationibus et fide sincera.*
9. *Accipite hunc pileum, quem capitibus vestris impono, ut memores sitis illius laureolae, quae repromittitur iis, qui ad iustitiam erudiunt plurimos, et hoc sedulo curetis, ne quis. accipiat coronam vestram est autem caeruleae coloris, ut sciatis vestrum esse, relictis terrenis conservationem habere in caelis, ut quae sursum sunt suspiretis, non quae super terram.*
10. *Imposita sunt fila rubra, ut pro fide orthodoxa et ecclesia catholica caput ponatis, et sanguinem, si necesse fuerit, fundatis neque terreamini ab his, qui occidunt corpus, sed eum solum metuatis, qui potest et corpus et animam mittere in gehennam.*
11. *Osculum denique mihi praebete, vos ego salvare jubeo novos theologiae doctores atque hoc symbolo admoneo, ne sint in vobis schismata, sed pacem sectemini cum omnibus. et pax Christi exulet in cordibus vestris, ut de vobis aliquando dicat: “osculetis me osculo oris.”*

#### **Formula. promotionis.**

Ad quam et promotor et promovendi stabunt  
erecti et apertis capitibus.

12. *„Quod igitur deus optimus maximus omnesque caelites berlic ac feliciter evenire jubent. ego N. N., artium liberalium et philosophiae magister et s. theologiae doctor, auctoritae s. sedis apostolicae et sacrae caesarae majestatis mihi per facultatem theologicam communicata vos s. theologiae licentiatos N. N. his doctorum insignibus a me ornatos dico, creo, facio et in hoc publico consensu pronuncio ejusdem s. theologiae doctores, dans vobis potestatem, cathedram ex officio conscendendi, sacram theologiam et scripturam docendi, disputandi*

*caeteraque omnia hic, et ubique locorum praestandi, quae hunc; gradum concernunt; omniaque vobis privilegia et praerogativas ad hunc gradum pertinentes concedo caeteraque demum, quaecunque jura cum hac, dignitate secundum hujus et aliarum academiarum decreta conjuncta sunt, vobis impertior: in nomine patris et filii et spiritus sancti. amen."*

"Nunc igitur hic mecum considete et tanquam novi doctores de cathedra disputationi praesidete."

13. Peracta promotione unus ex senioribus doctoribus primi baccalaurei determinationem impugnet; cujus argumentum ubi baccalaureus solverit, confirmabit solutionem primus inter novos doctores scriptura vel auctoritate patrum et erudita ac brevi explicatione tunc ab altero doctore pari modo impugnetur reverendus baccalaureus; cujus solutionem confirmabit reverendus doctor, atque ita de caeteris, si plures fuerint. finem imponet promotor gratiarum actione, primum deo et caelestibus, deinde: praesentibus cuique suo ordine pro cujus dignitate.

14. Priusquam de cathedra descendat, II ad minus aut IV pueri vel, ut visum fuerit in ornamentum actus, plures, angelico habitu vestiti, quorum unus in manu crucem, secundus testamentum, tertius calicem, quartus patenam gestent, versibus celebrabunt novos doctores.

15. Dum de cathedra descenditur, inflentur tubae, et caeteri quidem doctores theologi deposito habitu assumunt epomides. promotor novus et novelli doctores usque ad locum convivii habitum servabunt, sicuti et caeteri doctores theologi pileos careuleos. ordo autem procedendi hic erit: promotor claudet sinistram rectoris, vel, si princeps adsit, illius; primus novellus doctor secundi praelati, si plures adsint vel seniores doctores theologi, et sic consequentur. ubi proceditur statim a cantoribus interpositis organis TE DEUM LAUDAMUS, et promotor medius inter promotos ante summum altare, flexis genibus, cum pueris collocatis usque ad finem cantus perdurabit. quo finito et ad altare, quod osculabatur, facta oblatione praecedentibus tubis et pedello, ordine praedicto, ad locum convivii ibitur.

16. In prandio accumbet quidem promotor, promoti vero ministrantes dirigunt epomide theologica utroque humero tecti et servatis pileis caeruleis. sub finem prandii paulo ante bellaria promotor, praecedente pedello et commitantibus promotis aliisque theologiae nonnullis candidatis, gratias agat convivis, quod et in actu et in prandio novos doctores cohonestavit.

#### **Titulus nonus.**

De modo admittendi alibi promotos.

Statuimus et ordinamus, ut nullus alibi promotus baccalaureus, licentiatum vel doctor hic recipiatur, nisi et se promotum esse legitimo testimonio docuerit et juramenta huius facultatis praestiterit feceritque professionem fidei secundum bullam Pii IV.

Item statuimus et ordinamus et inviolabiliter observari volumus, ut nullus doctor, quantumvis legitimo testimonio promotionem suam docuerit, ad facultatem ejusque consilium admittatur, nisi fide dignum testimonium absolutorum studiorum theologicorum (si per gradum promotus non sit) attulerit vel eruditionem suam publica aliqua disputatione, cui praesederit. atque, ut eidem praesidere possit, et supplicare facultati et jura consueta, numerare debeat, sufficientem comprobant.

Volumus autem huiusmodi praesidem externum in principio disputationis consuetam facere protestationem theologicam, de qua titulo quarto. Item volumus baccalaureos, licentiatos et doctores aliarum universitatum hic dicto modo receptos in disputando, sedendo, respondendo, eundo, suffragia dando et sententiam dicendo omnibusque aliis privilegiis cedere baccalaureis, licentiatis et doctoribus nostris respective, quantumvis alibi multis annis ante eos, qui in nostra facultate gradum susceperunt, fuissent promoti. post tempus vero receptionis illos, si qui hic promoveantur, illis volumus alibi promotos et hic legitime receptos semper et ubique praeferri.

Volumus praeterea, ut, si contingat, diversis temporibus ejusdem anni duo fieri licentiatos, priorem etiam posteriori doctoratus insignia accipiat, in omnibus potiores partes habere, modo ea insignia infra anni spatium sit consecutus, alioquin minime

#### **Titulus decimus.**

De admissione ad consilium facultatis.

Admittendus ad consilium facultatis, sive hic promotus, sive receptus, primo supplicabit, et, si in eius petitionem consenserint doctores, fisco numerabit II aureos in auro et consueta juramenta praestabit, quae sequuntur.

*„Ego N. juro, me eam retinere et usque ad finem vitae retenturum fidem, quam s. Romana ecclesia docet juxta professionem fidei ex decreto consilii Tridentini editam.*

*Secundo, me non permissurum, quantum in me erit, ut aliquis in hac nostra facultate vel ad gradum promoveatur vel ad consilium recipiatur, qui non eandem fidem teneat ac profiteatur.*

*Tertio, me fideliter sententiam dicturum in consilio, rogatum ad facultatis nostrae utilitatem et universitatis bonum.*

*Quarto, me non daturum causam dissensionis inter membra nostrae facultatis, quae eam perturbent, sed quantum in me erit, pacem inter omnia conservaturum.*

*Quinto, me non revelaturum secreta, quae mihi a decano imperata fuerint.*

#### **Titulus undecimus**

**De juribus d. cancellarii, facultatis doctorum, licentiatorum, baccalaureorum, praesidentium et pedelli.**

1. Item statuimus et ordinamus, ut, pro singulis responsionibus ad baccalaureatum numeretur praesidi florenus unus; pedello 1/4. pro actu vero tam biblico quam ad sententias detur fisco florenus aureus in auro. pedello pro actu biblico, pro initio sententiarum et pro forma singulis vicibus 1/2 florenus.

2. Item statuimus et ordinamus, ut, pro singulis disputationibus pro gradu et in actibus baccalaureatus dentur a respondentibus quidem singulis, a promovendis, si plures sint, simul omnibus his, si praesentes fuerint, magnifico rectori quidem et procancellario IV solidi, doctoribus vel nostrae facultatis III solidi, licentiatum II, baccalaureis I.

3. Item statuimus et ordinamus, ut licentiatus ratione promotionis suae solvat cancellario unum florenum in auro, fisco facultatis II florenos aureos in auro; praesidi unum, pedello unum fl. simplicem et pro singulis responsionibus 1/4 fl.

4. . Item statuimus et ordinamus, ut, doctores in sua promotione singuli dent fisco IV florenos aureos, promotori totidem, pedello III florenos propter magnos labores; doctoribus nostrae facultatis, simul omnes dent, si fuerint pures, pileos honestos; iis, qui in actu aliquid dixerunt, detur honorarium arbitrarium.

5. Item statuimus et ordinamus, ut, baccalarei, licentiati et doctores alibi promoti, qui hic recipiuntur, solvant fisco et pedello, quantum solvissent, si eundem gradum hic recepissent.

6. Item statuimus et ordinamus, ut, decano facultatis nostrae pro laboribus toto tempore sui officii susceptis ex fisco assignetur tantum, quantum pro ratione pecuniae, quae in cista fuerit, facultati videbitur mereri.

7. Item statuimus et ordinamus, ut, ut hi, qui sunt de societate Jesu, nihil cuique numerent, sed iis omnia fiant gratis, quandoquidem etiam

ipsi gratis omnia pro institui sui ratione praestant, juri suo in qualibet pecuniarum distributione cedentes.

Postremo petit sacra facultas theologica et reverenter obtestatur, ut statuta illa secundum omnia et singula reverendissimus et illustrissimus princeps et Dominus Dominus JULIUS *Episcopus Wirceburgensis et Franciae orientalis Dux* una cum suis canonicis capitularibus hujus cathedralis ecclesiae, almae hujus academiae restauratoribus et conservatoribus pro se suisque successoribus suorum consignatione. sigillorum et subscriptione confirmare facultatisque membra sua autoritate manutenere, tueri et protegere dignetur.

Nachdruck nach Wegele, Urkundenbuch Nr. 71, S. 175-191:

Nach dem Abdruck bei Ant. Ruland.: *Series et vitae professorum ss. theologiae, qui Wirceburgi a fundata academia per divum Julium usque in annum MDCCCXXXIV docuerunt. Wirceburgi MDCCCXXXV p. 237-257.* Das Original oder die betr. Abschrift, auf die Ruland p. XI der Vorrede verweist, hat sich nicht finden lassen wollen.